

**Programma de oesophagotomia : quod, Deo juvante, & praeside Bernardo  
Peyrilhe ... / tueri conabitur Joannes-Baptista Sue, programmatis auctor.**

**Contributors**

Sue, Jean-Joseph, 1760-1830.  
Peyrilhe, Bernard, 1735?-1804.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1781.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g64thwbx>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

(A)

# PROGRAMMA DE ŒSOPHAGOTOMIA.

*QUOD, DEO JUVANTE, & Preside BERNARDO PEYRILHE,  
Chirurgie Magistro, Doctore Medico Tolosano, Chymie  
Regio Professore, Academia Regia Chirurgie Consiliario, è  
Regiâ Academiâ Scientiarum, Humaniorum Litterarum &  
Artium Tolosana, necnon è Regiâ Scientiarum Societate Mons-  
pellienſi, tueri conabitur JOANNES - BAPTISTA  
SUE, Parisinus, in alma Universitate Parisiensi, liberalium  
Artium Magister, Programmatis Auctor.*

*Die Sabbati, 16<sup>a</sup> Junii, anno Salutis 1781, à sesqui-secundâ  
post meridiem ad septimam.*

IN REGIIS CHIRURGORUM PARISIENSIMUM  
SCHOLIS, PRO ACTU PUBLICO  
ET  
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae  
Collegii necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ.

---

M. D C C. L X X X I.

AMOTOKA DED


СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА

СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА

СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА  
СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА  
СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА

СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА  
СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА  
СОЛНЦЕ СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА

17. DEC. 1881.



D. O. M.

---

PROGRAMMA  
DE  
ŒSOPHAGOTOMIA.

---

I.

**P**HARYNX, saccus musculo-membranaceus, infundibulum referens, circa medianam colli longitudinem abit in meatum aequalem, quem œsophagum seu gulam dixerunt Anatomici. Hæc cylindracea fistula ex anteriori ad posteriorem faciem complanata, tracheæ submissa, descendens per collum, ad latus sinistrum corporum vertebrarum, in stomachum definit, vel potius evolvitur.

II. Dum thoracem trajicit œsophagus, aortæ affidens, undi-  
A ij

que multo textu cellulari præcinctus ac colligatus, partem posteriorem dextram basis trianguli utrâque mediastini lamellâ circumsepti occupans, dextrorsum magis magisque deflectit.

III. Tandem œsophagus, cor sinusque pulmonales prætergressus, à vertebris discedens, antrorsum obliquus fertur, seque immitit in ostium musculi inferioris diaphragmatis; paululumque progressus per abdominis cavum & amplior factus, superiorem, posteriorem & sinistrum ventriculi parietem pertundit, seu rectius, cum parietibus cardiæ oris coit, quo ostio terminatur.

IV. Eadem fermè œsophagi structura quæ stomachi; cuius appendix haud immerito habendus videtur. Quatuor membranis compingitur, quarum prima in collo tota cellulosa, in pectore à mediastino suppeditatur. Secunda musculosa, fibris longitudinalibus, obliquis, transversis, aliisque has decussantibus intersecta. Tertia, nerva dicta, musculosâ amplior, rugis longitudinalibus exasperatur. Quarta demum, quam villosam non malè dixeris, eisdem rugis discernitur.

V. Glandulæ lymphaticæ, telâ cellulari conditæ, pharyngem ac œsophagum comitantur ad septum usque transversum, ductibusque excretoriis perforant; quibus jugiter humorem fatuum & viscidum fundunt, quo hosce canales à frictione defendunt, atque ingestis prætermodum irritatos & dolentes demulcent.

VI. Arterias, quibus irrigatur œsophagus mutuatur ex aorta inferiori, carotide externa, subclavia, mammaria externa, bronchiali & intercostali superiori; quarum numerosiores rami, ramulique per carneam œsophagi tunicam dispersi, rete vasorum struunt, quod pro membranâ vasculosâ habuit Willius.

VII. Venis itidem non paucis irrigatur œsophagus, quas trun-  
cus venæ cavæ, jugularis, azigos, mammaria, subclavia, brachialis & vertebralis suppeditant.

VIII. Nervos omnes ex octavo pari & sympathico majori habet

5

œsophagus : superiores ex recurrente, inferiores verò ex ipso octavo pari; cuius uterque truncus multifidus ad ventriculum pergit.

IX. Pharynx non secus ac œsophagus ita à natura comparati sunt, ut quæcumque receperint protinus sursum vel deorsum trudant, aut saltem trudere totis viribus conentur. Nisi obstet vapidus ingratusque sapor, ingesta quæ semel imas fauces attigere non possunt, quin pellantur in ventriculum, quoties eorum molles & figura elabi sinunt : ductus enim alimentaris quâ parte distenditur esculentis aut potulentis, hâc parte irritatus contrahitur, irritantemque ac distendentem massam in partem proximè sequentem, laxam adigit ; quæ mox irritata rursus invicem viciniori laxæ patulæque tradat, ad ventriculum usque sensim detrudendam.

X. Vi musculari deorsum urgente etsi gravitas ingestorum auxilio esse possit, nihilominus & hâc invitâ imò & in contrarium enitente potus cibusque in ventriculum ducuntur, ut quisque capite in terram demisso pedibusque in altum sublatis usu discere potest.

XI. Verùm heu ! mirus hic rerum ordo à providâ naturâ statutus, incuriâ, insulsâ jocatione, vesanâ moriendi cupidine, dimentiâ, malâ ingluvie pervertitur.

XII. Hinc tot tamque diversa à corporibus extraneis œsophagi obturamenta, quorum memorandis historiis charta otiumque deesset : infausti enim hujus fortis eventus ut numero, sic circumstantiis vix modum capiunt.

XIII. Inter œsophagi repagula extrinsecus advenientia, hæc adeò minuta sunt, qualia spinæ, acus, exilia ossium fragmenta &c. ut neque idoneis instrumentis arripi, neque accommodatis organis in ventriculum detrudi valeant ; quòd invisâ exiguitate armis Chirurgicis se subducant.

XIV. Illa tantæ molis sunt ut ipsa in ventriculum detrudere

mínimè tutum sit ; seu quòd cardiam prætergredi renuant ,  
seu quòd in saccum alimentarem propulsa pyloro reluctante co-  
hibeantur , donec putrescant aut dissolvantur.

XV. Alia rursus figurâ undique secante infesta , si in ventriculum abigantur , nimirū fragmenta vitri , silicis , & ut minùs providè asseruerunt observatores , ipsa adamantia , infinitis lethalibusque vulnusculis solent partes solidas rodere & ut proprio utar vocabulo , scarificare. His non malè sociaveris castaneas , gallas maturas , fungum exsiccatum , spongiam , suber , &c. quæ mole auctâ , hausto affatim huinore gastrico , sibi ipsis viam occludunt , non antè reserandam , quām putrefacta in minuta fragmenta abierint ; quod eventu compertum est.

XVI. Demùm non desunt corpora gracilia , forfices putà , choclearia , cultri , ensis fragmenta , claves , &c. Vi in œsophagum adacta , quæ neque si idoneis instrumentis arripueris , manui circonspectiùs trahenti obsequuntur ; neque , si detruseris , res ægri in melius vertentur : imprudentes enim malèque provisi conatus , fatalem accidentium cohortem arcessunt hominemque ægrè servandum , perimunt.

XVII. Quos nifus in corpora extranea œsophagum obstantia , natura edere visa est , hos ipsos incitare , firmare , temperare ars Chirurgica conata est. Non semel vis conservatrix , animalibus insita œsophago hærentia corpora vomitu ejiciens , Chirurgos monuit vomitum ciere. Hinc præcepit Paulus Ægineta ut ægri vomerent , quoties Chirurgus ante ventriculi concoctionem in ægrotum inciderit ; bellè scius , nonnumquam id quod est infixum unà cum vomitu ejici (1). Hoc Pauli præceptum commentatus Medicus inter Germanos clarus , suasit , fortè ex Savonarolâ (2) , stomachum pulte farinaceâ obruere , ut , quæ quandoque præter-

(1) Lib. VI , cap. 32.

(2) Practic. Tract. VI , cap. IX , Rubric. III.

missa est, occasio recurrat, nullaque intermissa morâ vomitum provocare.

XVIII. Iis auxiliis incassum tentatis, cogitatum est de organis obice avelendo idoneis (3); tandemque ventum est ad instrumenta, quæ pondere aut formâ detrudendis in ventriculum repagulis sufficient.

XIX. Nec tunc præsentibus artis beneficiis contenti, ab investigationibus destitêre Chirurgi. Quædam corpora extranea neque pro votis evelli, neque tutò detrudi dictum est. Ea, seculo œsophago, eximere ultima supererat spes anxia. Immane ausum medentes non terruit. Incitavere per ampla gutturis vulnera feliciter agglutinata, hærentesque animos confirmarunt ipsa corpora extranea concitato abscessu, ruptisque involucris, vel sponte, vel manu obstetricante, visa œsophagum deserere.

XX. His rationum momentis fretus, Chirurgos ad inauditam œsophagi sectionem impulit J. B. Verducius (4). Longo post Verducium tempore, Clar. Guattani, summi Pontificis Benedicti XIV Chirurgus primarius, post capta in Canibus experimenta, suspensas Chirurgorum mentes firmare, atque ut de nostra operatione periculum facerent adhortari, sibi provinciam sumpsit (5).

XXI. Tandem ad œsophagotomiam in homine celebrandam ventum est. Hâc audacter institutâ ægrotos ab orci faucibus revocârunt vitæque servârunt Chirurgi, inter Gallos non infirmæ notæ, Goursaud & Rolland (6).

XXII. Ipse ego ne horum virorum felicibus ausis inconsultè calculum album adderein, in brutis œsophagi sectionem intentatam non dimisi. Quaternis experimentis ossa minuta in

(3) Albucas. part. 2, cap. 38.

(4) Suite de la Pathologie, Chap. 32, Art. 18.

(5) Mémoire de l'Acad. Royale de Chirurg. tom III, pa. 351.

(6) Ibid.

œsophagum Canis detrusa & paululūm commorata, sectâ alimentari fistulâ eduxi, non modò salvis Canibus, verùm vix aliquod sanitatis detrimentum passis, si deglutitionem per paucos dies læsam excepérис.

XXIII. Ergò, ubi imminet suffocationis periculum, à corporibus œsophago infixis, quæ neque detrudere tutò, neque extrahere ars valeat, & ultimâ ægri spes pendet ex œsophagotomia, eam audacter aggrediatur Chirurgus; modò res evel-lendæ illam tubi alimentaris portionem occupent, quæ à glandula tyroïdea ad claviculam pertingit.

XXIV. Ægroto in apto sedili collocato, Chirurgus coram stans, sedens aut flexis genibus insistens, cutim super stratumque paniculum carnosum ad lævum colli latus scalpello dividit, quâ parte distenta corporibus extraneis prominent. Exinde se-jungit diducitque musculos sterno-tyroïdeos, & sterno-hyoïdeos per anteriorem & lateralem colli faciem decurrentes; quibus amotis, in propatulo erit œsophagus. Demum rectâ plagâ corporibus extraneis recipiendis capaci, ipse œsophagus pertunditur. His peractis, quidquid extranei occurrit digitis, hamo, volsellâ arreptum educitur.

XXV. De fasciacione nihil est quod addam: omnium simplicissimâ contentum vulnus, paucorum dierum spatio, modè ingestis non retardetur, optatâ cicatrice obducitur.

